

peccandi occasiones, mentales affectiones dante, iustorum defensionem suscipiente; 3. consolidatiuâ, ad collectionem, roborationem, expulsionem sui contrarij. Secundo. Per ea Deus 1. excitat iustos, vt, viuant attentius, clament affectuosius, impetrent copiosius: 2. mentem illuminat ad cognitionem, sui, Dei, mundi: 3. conseruat merita & gratias, & virtutes acquisitas. Tertio. A Deo dantur per ea tria dona; 1. est, donum conformatiuitatis cum Christo per imitationem, associationem, vnionem seu perfectionem; 2. suauitatis, ad bona temporalia, corporalia, spiritualia per Deum gustanda; 3. iucunditatis, in mente, corpore, cœlo. *Ex quadragesimali de Christiana religione, tom. 1. a pag. 38. B colum. 1. ad paginam 42. col. 2.*

Eiusdem sermo, vnde suprâ de diuina protectione iustorum per Angelos. I. Notanda sunt tria. 1. tria esse regna Iesu Christi; corporale quod consistit in quatuor elementis; spirituale, quod sunt Angeli & animæ; mixtum, quod est homo; 2. duo prima regna habere influentiam super tertium regnum, sc. homineam; 3. per quatuor affectiones habere ingressum ad animâ omnes tentationes, & ad tempus accessum habere omnes inspirationes. II. Angeli refrænant in animâ; 1. mundana gaudia per dolorem & tristitiam secundum Deum; 2. omnes contristantes tentationes, per gaudia spiritualia & diuina; 3. stultam mundanorum spem per timorem verbi Dei; 4. omnes mundanos timores. III. Iusti ab Angelis protegentur in prosperis, ne in crimina ruant; in aduersis, ne frangantur; in contemplatione, vt adhuc proficiant. *Ex quadragesimali in Euangelio æterno, tom. 2. a pag. 470. col. 2. ad pag. 475. col. 2.*

Eiusdem, in Euang. sermo, quo probat. Primo: Bellatores debere 1. exerceri, & multos sufferre labores 2. in dubijs instrui, quando mira & stupenda apparent in exercitu; 3. præmio alluci & induci, vt libentius pugnent. Secundo: Ista tria dux noster Christus in suis militibus obseruat eos 1. fatigat in angustijs, quod signum est prædestina-

tionis; 2. in dubijs assecurat, & adiuuat; 3. præmijs remunerat. Tertio. Hæc tria ostenditur eum fecisse in Euangelio. *Ex quadragesimali antehac non impresso, tom. 3. a pag. 94. colum. 2. ad pagin. 96. col. 1.*

Idem sermone, de amore probante loquitur de triplici statu naturæ cui respondent duodecim gradus, quibus de vno ad alium itur. I. Circa statum naturæ sunt quatuor gradus 1. viuificatiuus animæ mortuæ in peccatis, & vanitatibus; 2. illuminatiuus; 3. humiliatiuus; 4. probatiuus. II. Naturæ saluificanti conueniunt, 1. gradus satisfactiuus vel solutiuus peccatores puniendo in hoc mundo; 2. consolatiuus; 3. delectatiuus; 4. conseruatiuus. III. Ad statum naturæ beatificantis pertinent quatuor postremi gradus: quorum 1. manifestat animæ stabilitatem; 2. præmiat sanctos magno honore, & Deo sociat; 3. triumphat de inimicis; 4. coronat. *Ex quadragesimali Seraphin, tom. 3. a pagin. 215. colum. 2. ad pagin. 219. colum. 2.*

* NICOLAI DE CVSA pro Euang. sermo. Quos quos tangebant eum salui fiebant. Marc. 6. Fides primo. In Christo Iesu operatur salutem per charitatem operantem. Secundo. Quæ venit in animam humiliatam, est exaltans naturam extrâ suam finitatem; non habet autem locum nisi in animâ humiliatâ; superbus enim non credit nisi intelligat; humilis non intelligit nisi credat. *Excitationum lib. 5. a pag. 506. ad pag. 507.*

DOMINICA PRIMA Quadragesima.

* B. ALBERTI MAGNI sermo. ad id: ductus est Iesus in desertum a spiritu. Matth. 4. Demonstrat. I. Christum baptizatum & ieiunantem, hominem significare Christianum. II. per desertum, mundum exprimi. III. Nos in mundum destinatos esse, vt tentemur à diabolo. Et Christum à demone tentatum ad tria, vnde omne peccatum; ad gulam; ad auariciam, ad su-